

349 Disp. XV. Part. I. de orig: animæ rational. 550

tio terminatur ad aliquid perfectum: sed si animæ crearentur ante corpora, tunc crearentur in statu imperfecto; quia haberent ordinem ad suam materiam, id est que essent veluti in statu violento. Secundo, cum forma de se ordinetur ad materiam, non debet creari ante productionem materie, cui nata est inesse: sed anima creatur ad hoc, ut informet corpus, est enim forma corporis organici, ergo non debet producere anima rationalis ante corpus.

Hæ rationes aliquo modo probant, non tamen omnino coniunctum; dicetur enim animam esse creatam à Deo, ut quidem informet corpus, non tamen ad hoc creatam esse, ut statim informet corpus, atque creata est, sed suo tempore ad beneplacitum ipsius Dei: sicut licet post separationem à corpore sit vera forma corporis, attamen in illo statu non informat corpus.

At dices id est non informare corpus in illo statu separationis, & tamen esse veram formam corporis; quia ex natura sua est forma corporis corruptibilis, id est que ex natura sua debet illud aliquando relinquere.

Sed respondebo similiter, quod cum ex natura sua sit immortalis, & spiritualis, id est debet produci multo, antequam producatur corpus, & sicut post destructionem corporis remanet, ita & eius debet esse status antecedens productionem, id est debet produci ante corpus; quare existimo totum illud, quod certum habemus de hac re, attribuendum esse fidei Catholicæ.

Responderet vero Plato ad dictas rationes illas valere tantum de forma informante, non vero de forma assistente, qualem volunt esse animam rationalem; hoc tamen est contra fidem: Errauit cum Platone Origenes existimat animas rationales productas esse ab initio, & propter peccata perpetrata in celo Empyreo missas esse in corpus, tanquam in carcere, ut debitas suis peccatis luerent penas.

Ad prædicta duo, & resoluta unum adhuc hinc inquiri posset, nimurum an anima rationalis sit diversæ speciei à natura Angelica? Plato, & Origenes dicebant quod non.

Resolutio tertia. Anima rationalis, & Angelus habent diuersam differentiam specificam: Probatur primò; nam animæ rationales habent essentialiē ordinem ad informationem corporum, sed Angeli hoc non habent, ergo differunt in essentialibus.

Probatur secundò: Si conuenirent specie, sicut anima ingreditur corpus, & ipsum informat, ita & Angeli deberent informare corpora.

Attamen hæ resolutio potius fundatur in fide, quam in ratione naturali, non enim est contra rationem naturalem dicere Angelos, & animas rationales esse eiudem speciei; quia facile posset responderi ad dictas rationes, dicendo illum ordinem animarum ad corpus esse ipsius accidentalem, illisque aduenientem, eò quod peccasset statim post sui creationem; dicebat enim Origenes in initio creaturas esse omnes Angelos, sed quia multi ex eis peccauerunt, qui peccauerunt, priuati sunt visione beatificæ, pars vero, que magis peccauit, dimissa est ad Tartara; pars autem, quæ minus peccauit, dimissa est ad corpora; attamen in fine mundi omnes sal-

uabuntur, & boni, & mali iuxta illud: *homines, & iumenta salvabis Domine;* sed hæc opinio Originis damnatur hereticos: concludendum igitur animam rationalem differre specie ab ipsis Angelis.

Obijcis tamen: Quæ habent eandem differentiationem ultimam, illa sunt eadem specie: sed anima rationalis, & Angelus habent eandem ultimam differentiationem, ergo &c. maior patet: minor probatur: Rationale est ultima differentiatione animæ, & etiam Angelii.

Respondeo rationale Angelorum se habere analogice ad rationale animæ nostræ; nam rationale Angelorum est sine discursu, ut docent communiter Theologi, at rationale hominis non est nisi cum discursu; ut autem aliqua duo dicantur esse eiusdem speciei, non sufficit ipsa habere eandem ultimam differentiationem analogice sumptam, sed requiritur, ut habeant eandem uniuersè sumptam; quod autem rationale Angelii, & hominis se habent analogice, evidenter colligitur ex eo, quod, ut dictum est, unum sit necessarium cum discursu, alterum vero non: sicut multi tenent, quod materia cœlorum à materia sublunarum differat specie, licet utraque sit subiectum formæ, ita de rationali Angelorum, & hominis ceteris paribus.

Partitio II.

An anima rationalis sit vera forma informans corporis? & de intellectu Auerroïstico.

Quid sit forma informans, & quid assistens, dictum est alias; nunc autem quærumus, an anima rationalis, quæ est forma hominis, sit forma informans, an vero forma assistens. Plato voluit animam esse in corpore, sicut nauta est in nau, proindeque esse formam assistentem.

Auerroës alio modo est locutus; nam dicebat hominem constitui in eis hominis per illam potentiam, quam suprà vocavimus cogitationem, fieri; intellectuum hominem per quamdam substantiam separatum, quæ vna numero omnibus inservierunt hominibus, & quando homo vult intelligere attrahere per cogitativum, in qua resident Phantasmatum, illam substantiam separatum, sicut hominem intelligere, unde homo erit secundum Auerroëm essentialiter homo per cogitativum, at vero per intellectum, & animam rationalem erit ratiocinatus, sicut anima rationalis erit forma adueniens, & assistens, vnaque sufficiet pro omniibus hominibus, sic, inquit, ratiocinabatur Auerroës, cuiusque opinio ita vigebat tempore D. Thomæ, ut ipse contra intellectum Auerroïsticum (sic enim vocabant illam Auerroës opinionem Philosophi) coactus fuerit multa confidere, & præsumtum opusculum integrum, quod est decimum quintum satis prolixum intitulatum, *De unitate intellectus contra Auerroïstas.* Alij quoque Theologi eggerunt ex professo contra intellectum Auerroïsticum, & prefertim Iohannes de Bacchone in secundo distinc. 2. & lib. 1. opusculorum inquirens, an anima rationalis sit forma hominis? item Aureolus in secundo distinc. 17. Ochanus

*Explicatio
intellectus
Auerroïsticus.*

*Num. 1.
Angelus, &
anima rati-
onalis diffe-
rentia spe-
cie. Prob. primo.*

Secundus.

hb 1.